



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè explicantur.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1647

De Attentione Offic. diuini. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9521

2 Qui recitat principaliter ob lucrum distributionum, seu fructuum, siue sit intentio actualis, siue virtualis, peccat. *Nauarr. de orat. cap. 6. num. 15.*

3 Ille item religiosus peccat, qui principaliter citat ob timorem pœnarum à superiore irrogandarum, vel alios fines minus bonos. *Nauarr. ibid. num. 19.*

De attentione Officij diuini. Tit. 4.

1 Qui non attendit ad verba, vel ad sensum verborum, vel ad finem in oratione propositum, peccat; & duæ primæ attentiones singillatim sufficiunt. *Sacros. Thom. 2. 2. quest. 83. art. 13.* neque meliorem tenetur querere, ait *Suar. tomo 2. de relig. lib. 3. c. 4. num. 9.*

2 Qui recitat sine attentione actuali, vel virtuali, peccat mortaliter, nec habitualis sufficit, quæ absque vilo voluntatis actu non raro contingit. *Azor. cap. 12. g. 1.*

3 Qui voluntariè distractus, alia faciens: quæ attentionem impediunt, scribendo, pingendo, & similia faciendo, peccat. *Azor. quest. 3. ex cap. dolentes, vbi præcipitur attentio interior, & exterior; non tamen tenetur repetere, quia, licet malè, soluit tamen debitum. Cordub. in suis quest. lib. 4. quest. 13. ad fin. putat Azor oppositum esse verius, quest. 6. & addit Nauarr. cap. 20. num. 32. teneri, ac si non recitasset; ad restitutionem fructuum; quod nobis magis placet.*

4 Qui recitat, dum vestes induit, exiit, faciem lauat, &c. peccat venialiter. *Nauarr. num. 22.*

5 Qui attentè quidem recitat, sed in animo habet non satisfacere præcepto, tenetur repetere. *Nauarr. cap. 16. n. 74.*

6 Qui tantum legit preces Horarias, & non orat, minime satisfacit. *Nauarr. c. 13. num. 15.*

7 Qui recitat Officium, & simul audit Missam, satisfacit, peccat tamen venialiter, ex *Caiet. in Opusc. tom. 2. tract. 4. negat Nauarr. cap. 16. num. 71.* si iusta sit causa. At concordant omnes, nullum esse peccatum, si recitat, quando Sacerdos Missa secreta dicit.

8 Qui recitat cum alijs, satis est, si attentè audiat verba plurium, non singulorum, ac si ab vno tantum dicerentur. *Azor. cap. 7. quest. 7.*

De Prolatione officij diuini. Tit. 5.

Qui recitat solus, satis est, si verba ita proferat, vt se ipsam percipiat, & intelligat; neque sufficit, si in gutture tantum pronunciet, sed linguam, & labia verè moueat. *Nauarr. cap. 20. n. 14.*

2 Qui verba diminuit, & detruncat, syncopat, & transcurrit (nisi vitio lingue, vel consuetudine quadam quasi ingeniata fiat) peccat saltem venialiter; nec tenetur repetere. *Azor. cap. 7. quest. 11. & putat veritè, & probat fusiùs.*

3 Qui recitat cum socio, satisfacit, siue ille sit obligatus ad officium, siue non; & satis est, si attendat ad Antiphonas, Capitula, & Orationes, quæ socius solus dicit. *Nauarr. cap. 10. num. 16.* Idem dic delectionibus. *Azor. cap. 7. quest. 9.* In Psalmis autem & Hymnis recitandis, caue, ne si plures socij sint, alio modo dicantur, quàm alternis versibus ad modum duarum partium Chori, ex usu communi Ecclesiæ; alioquin non fit satis, ait *Suar. lib. 4. cap. 25. num. 3.*

4 Qui in Choro destinatur ad cantum non cantat, non satisfacit. *Nauarr. Missell. 79. de orat. cap. 10. n. 47. ex Trident. sess. 24. cap. 12.* vbi de Canonici loquitur. Consuetudo contraria in Canonici, qui per alios cantant, vbi moribus gentium sit recepta, siue continuata post Bullam Pij V. potest excusare a cantu. *Azor. cap. 11. quest. 6.* Videant tamen Episcopi, ne sit abusus, & dum per organum sonatur versus, dicatur hic ab aliquo, vt abstantibus audiatur. *Suar. tom. 2. lib. 4. cap. 8. num. 7.*

5 Ad exactam prolationis formam, & præsertim in Choro, valde inuat cognitio verborum Grammaticalis, quædam corripienda sint, aut producenda: Et quia rudioribus etiam sum ego debitor, addidi, ad calcem huius operis, eorum verborum notulam, quæ in Breuiario